

Et ius innotescat, ex Fonseca aliisque notandum est: Mensuram esse in duplici differentiâ, alia est Perfectionis, quæ scilicet rerû perfectiones metitur; unde illud tritum: *Primum, hoc est perfectissimum, in unoquoque genere est mensura cæterorum*, talis acceptio non est *πρὸς τὸ πᾶν*: alia autem est mensura extensionis, quæ rursus duplicis generis, vel enim sumitur activè, vel passivè, hæc dicitur illud, per quod res apta est, ut mensuretur ab alio, & idem est quod mensurabile, scilicet per mensuram activè; illa, id vocatur, per quod sive quo alia mensuramus, sicut ulna, qua pannum mensuramus. Quamcunque autem sibi impræsentiarum acceptionem velint intellectam Thomistæ, causâ suâ tamen excidunt: Duratio namque in genere, non est mensura passivè accepta, nam hoc admissio illa justo nimis coarctatur, hoc enim modo privaretur nobilissimâ specie suâ æternitate, quæ cum sit infinita, nulli se mensuræ, qua mensuretur, subjici patitur. Hic autem non nemo in Thomistarum patrocinium excogitavit distinctionem inter *mensurabile*, & *emensurabile* docetque æternitatem mensurabilem esse, id est, quamcunque mensuram in eam cadere, & hoc modo statuit, lineam infinitam posse ulnâ mensurari, quamvis emensurari non posse concedat, emetiri enim ipsi est extensionem metiendo exhaurire. Verùm distinctione hac ad rationis libellum revocatâ apparebit è vestigio, nihil pro hypothese Thomistarum praesidii inesse; quod cognitu erit facilius, si ex eodem Autore notaveris, annos, dies & temporis partes reliquas includi in æternitate, quando E. statuit æternitatem posse mensurari, quamvis non emensurari possit, secundum adductam hypothese nihil aliud intelligit, quàm aliquam partem æternitatis i. e. aliquos annos dies &c. mensurari posse, quod nos ipsimet *αὐτὸν* largimur, per hoc verò non evictum est æternitatem posse mensurari, ad hoc enim requiritur, ut mensuretur duratio quædam (posito non concessio durationem in mensurâ consistere) principio & fine carens, & qui in lineâ infinitâ ulnâ metitur, non metitur lineam infinitam, sed partem illius lineæ terminis certis inclusam, quos inveniet in primo illo puncto, ubi ulnâ admovent, & in ultimo puncto lineæ, in quo extremitas ulnæ substitit, implicat enim ulnâ, ut re terminabili incipere metiendo in re principio carente, quod si verò quis non incipere